



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

3. De infallibilitate gratiæ largiendæ facienti quod in se est; eiusque
proloquij certo & Catholico sensu. atque in eum nostrorum Molinæ, &
Cardinalis Toleti assertio, & vindicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

cap. 4. Paulus Orosius Apolog. de libert. arbitrii. med. & prior Abulen. in c. 19. Matth. quæst. 168. ad 6. aiunt negasse illos Dei concursus ad omnes nostras humanas actiones: siquidem ex Pelagij persona hæc scribit Hieronymus epist. ad Ctesiphont. *Namquid si voluero curuare digitum, mouere manum, ambulare, semper mihi auxilium Dei erit necessarium?* atque hæc Pelagij ad Deum colloquium subnequit. *Recede à me quia mundus sum: non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem ut faciam quod voluero.* Quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris. Sed certe cum Pelagius gratiæ solum per Christum auxilium solummodo negauerit idque solum à Concilio Milenitano fateri compelleretur subdoleque admiserit auxilij gratiæ nomine gratiam creationis, & naturæ debitam intelligens, concursus Dei naturæ debitum non negauit, sed cum æquam ad bonum, & ad malum, atque ad indifferentia opera completam potestatem arbitrij crederet ex eo, quod ad bonum auxilium Dei & gratiæ per Christum Catholici Patres necessarium admitterent, ad opera etiam indifferentia auxilium simile necessarium ab ipsis admittendum irrisorie, & argumento ab absurdo contendebat. & sane ab explicatione hæc erroris Pelagiani, & Semipelagiani, vel eo Doctores Catholici abstinere debent: quod illas definitiones Conciliorum Milenitani, Arausiaci, & Pontifici de necessitate gratiæ per Christum præuenientis nostræ opera ad salutem, & iustificationem conducentia, prorsus euacuantur: cum ea explicatione admittitur de necessitate concursus diuini ad illa possent intelligi. Secundo: quia, si id negasset Pelagius ab Augustino, Prospero, Hilario, & aliis qui eum, eiusque reliquias Massilienses sunt infectati notatum esset, & repulsum: quod præstitum non est. Tercio: quia æque contra ipsos auxilium Dei per concursum necessitas ad actus prauos definitur, nisi erroris dicas, id omisum, quia Deus ad illos non concurrere à Concilio putaretur. Tercio idem Lessius ibidem ait Massilienses errasse, quod immediatum fidei supernaturalis meritum operibus naturalibus tribuebant, quod Theologi præfati negant: sed certe de eo Massilienses, ne curantur quidem, cum quamvis anulum, & initium ex parte prædestinandi, & saluandi apponi Deo vellent, ut acceptio personarum in gratia largienda & his præ aliis prædestinandis in Deo vitaretur, ad quod remotissima quævis dispositio, ac meritum satis ipsis foret. Secundo: euacuantur hæc explicatione præfate definitiones de gratiæ necessitate, ad fidei salutis, & prædestinationis initium. Vndeque enim ex viribus nature etsi remotissime ex nobis & natura inchoetur salutis & prædestinationis initium ex nobis ac non ex Dei gratia est, ut supra dicemus. Quarto alij aiunt Massilienses gratiam internam omnem, etsi arbitrio naturalem, & debitam negasse, secus Theologos præfatos; sed id, ne Pelagius quidem, ut proximè vidimus, nedum Massilienses negarunt. Immo si Massiliensis (ut hi arbitrantur) Cassianus fuit internam Dei inspirationem expresse admittit 12. de instit. renouant. c. 16. citato, quod de naturali, ut minimum inspiratione, intelligi ab his Doctores debet, ut intra Massilienses tenere & numerare Cassianum aliquo iure possint, sed quo in eisdem præfatos Theologos debeant recensere. Secundo definitiones memoratas de necessitate gratiæ Dei per Christum ad fidei prædestinationis, & salutis initium euacuant: cum non nisi erroneæ cogitationes omni modo naturales gratiam Dei per Christum recognoscere nequeant. Quinto aiunt Massilienses de merito condigno solum initij iustificationis fuisse locutos, de congruo vero Theologos præfatos. Distinctum hoc fuit q. 2. cert. 1. ex quibus omnibus patet quanto fidei commodo noster Vasquez docuerit multaque accurata ex Patribus eruditione monstrauerit nullum bonum vindiçæ & absolute opus morale absque auxilio gratiæ per Christum efficaci creato arbitrio posse.

CERTAMEN III.

De infallibilitate gratiæ largiendæ scienti quod in se est; eiusque proloquij certo & Catholico sensu, atque in eum nostrorum Molinæ, & Cardinalis Toleti assertio, & vindicatio.

1. **H**oc ad integram proloquij eius veritatem examinandum: etsi enim ex viribus nature opera gratiæ, saltem initialis, ad fidem iustificationemque naturæ, & prædestinationem morales dispositiones, licet congrua esse admittantur, an infallibili, certaque lege eam essent à Deo obtentura sub lite maneret: cum meritis etiam condignis præueniendis, nedum congrua Deum natura, & essentia sua non teneatur, sed solum promissione, si in gratia nimirum condigne meritis concesserit. Infallibilitatem hanc gratiæ consequentem sue initialis, hæc videretur, pro cuiusque sententia reuertamur. 1. docent utroque Guillelmus Parisiensis & Abbedorus numero 3. Conradus iunior Cano num. 1. VVigorius num. 7. Argentina, lauellus, & Nazarenus numero 6. Zamel, & Henricus num. 7. Gabriel num. 8. Adam Gold. Nicolaus de Obellis, & Driedo numero 10. Robertus Tap. Michael Medina, & Vega num. 11. Lessius num. 1. Te metis Nauarette, & Driedo, pie id solum credendum eant, quod absolutam infallibilitatem excludant, sicut & Zamel asserens id non esse ex lege vniuersali infallibili, & Gabriel de lege ordinaria non absolutam. Item omnes quoad hanc infallibilitatem, hæc absolutam suæ de lege ordinaria pro bene operantibus ex arbitrio viribus, suæ statuta, suæ ex Dei bonitate condicionalis plus in hac sententia, quam Massilienses docuisse mihi est. Neque enim infallibilitas hæc ab ipsa auctoritate legitur, aut notatur, adhuc ab iis, qui exemplum eorum doctrinam notantur: neque id ipsum intenterat, solum enim ex parte prædestinationem apparet offerri Deo occasionem, dispositionem & naturam eos præ reprobis, qui eam non offerebant, suæ acceptione personarum ad fidem, & iustificationem congruam ac prædestinaret, non autem exactam, occasionem, & dispositionem, ut quicunque illam offerrent, gratia fides, &c. adeo, de lege adhuc ordinari, deberentur, sed Deo quodam ex eis, relictis aliis, eligere integrum prorsus foret. Eator tamen contra infallibilitatem hanc nihil hæcenus ab Ecclesia esse dictum.

2. Cæterum infallibilitas hæc consequentia gratiæ auxiliantis, & initij prædestinationis ex operibus bonis moralibus ex facultate solius nature omnis humanæ præfatorum Theologorum sententiam, suæ vniuersali gratiæ, si illam necessario auxilium gratiæ præuenientis requirant: nullo fundamento: immo contra valde fundamenta affirmari, & sine fundamento ex scriptura saluari, aliqui ex nuper citatis, atque ex aliis relictis causa merito obseruauerunt, idque pie credendum prorsus ducunt: nullus enim scripturæ locus pro ea infallibilitate gratiæ suæ primæ, operibus ex facultate sola nature factis cum specie adhuc probabilitatis adducitur: sed neque pro infallibilitate gratiæ vniuersalis ob eiusmodi opera ex gratiæ præuenientis auxilio exhibita. Nulli enim cum auxilium gratiæ, & iustificatio subsequens, aut perfectiora cuiusmodi operibus, immo, nec longe perfectioribus supernaturalibus promittitur, non solum iustificatione, & per tempus breue, sed duratur etiam per longum tempus exhibitis. Alioquin frustra, & illusoria ab Apostolo diceretur omnibus ad Philipp. 1. *Cum meritis, & premere vestram salutem operamini.* Cum veterani, & studiosi

Audiosissimi virtutum milites frustra timerent: plures præsertim, qui eo perfectionis perueniunt, & cum eis tentationum de grauibz congregulz Dæmones timeant: etsi enim verum sit regularitate, & relatione seclusa, vtrum odio an amore dignus sit neminem scire, ex vite tamen longè accurato perfectionis studio, & exercitio constanter, & in dies crescente affectum & inclinationum inordinatarum, multante quidem, subiectione, aliisque multis etsi non euidenter ac certo physice, prudenti tamen & morali certitudine quandoque de suo statu gratiæ, ac in Deum studio ac diuturno obsequio iudicare affirmatiue plures poterunt: vt vix physice, & ne vix quidem moraliter de opposito dubitandi locus eis remaneat: iis siquidem indicis, & fundamentis aliis sapè, præsertim confessionis & spiritus Sanctorum virorum Patres de eorum statu gratiæ, vite, ac perfectionis sanctimoniam prudentissimum, ac minime dubium moraliter cum obiectiue tum subiectiue iudicium efformant: quod proinde pluribus multo in seipsis experimento deprehensis indicis de seipsis perfectissimè illi virtutis veterani poterunt efformare: si tamen diuturno vigiliant exercitio etiam ex gratia, ita in se deprehensio vltiora gratiæ auxilia lege aliqua, vel ex promissione, vel arbitrario à Deo statuta, vel ex Dei bonitate morali aliqua certitudine deducta debeantur: et quid timoris, nedum tremoris, ad quem omnes serio Apostolus hortatur corde in eis de salutis amissione, persequentia defectu & damnatione esse in illis possit. Confirmatur pluribus Ecclesiasticis, & fide dignis historiis. Ex quibus constat plures diu Sanctos, atq; in virtutis, & perfectionis omnis studio veratissimos, & præstantissimos viros auxiliis, quibus persequerentur, de facto deservisse fuisse damnatos: quare de eo omnes etiam Sanctissimos, non timidos solum sed tremulos esse debere merito Apostolus sua illa generali adhortatione testatur: cuius veritati infallibilitas auxiliantis gratiæ ex diuturno virtutis exercitio contradiceret. Confirmatur id ipsum. Secundo: quia infallibilitatis eius fundamentum ex scriptura, ad quod eius assertores recurrunt, est illud: *omnes homines salui fieri*: ex hoc vero, non hæc, sed alia longe diuersa infallibilitas assistentiæ gratiæ Dei bene operantibus deducitur: quam mox in Theologici illius proloquij sensu vero & Catholico statim subiciendo, aperiemus. Denique ex bonitate Dei pie adhuc eam infallibilitatem certo credere, immò nec prudenter, maiori probabilitate, quam oppositum possumus coniectari: cum ex Deum ad ipsius exercitium non ita sui, vel physice, vel moraliter impotem rapiat, vt non illud, sicuti & iustitia, & attributorum reliquorum erga creaturas exercitium diuino arbitrio, etiam addito salutis omnium desiderio ardenti, integrum profus non sit: vt patet in plurim final impotentia, & non paucorum, vt diximus diu multumque Sanctorum finali, quo vitam claudunt peccato.

3. Si ergo nec bene operantibus ex facultate nature sola (quod fieri vt diximus nequit) nec bene diu etiam operantibus ex Dei gratia deberet lege vlla gratia vltior auxiliantis, ac subinde neque infallibiliter obueniret citius, quæ deficiente, equis proloquij illius: *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*: quod axioma Theologicum esse initio quæst. suppositum, verus legitimus & Catholicus sensus erit: Omnes siquidem videmur excludisse sed certe vnus adhuc non verus, & Theologicus solum, sed, & dogmaticus sensus eius proloquij, & à reliquis præter hæcenus impugnatos scholasticos, etsi non ab eorum aliquot explicatus, sed attractus, & suppositus reliquus est. Dico igitur tandem: sensus verus, Theologicus & dogmaticus eius axiomaticus est: nullum adulem rationis vltim habentem auxilio gratiæ sufficienti ad bene operandum destitui: quare, & facienti quod penes ipsum est gratiam Dei minime abesse quæ vt absolute possit eius potentiam absolutam in actu etiam primo complens necessario præcedit. Axioma illud hunc sensum capere, & de se patet, & amplius ex subicienda mox obiectione vnica à ratione clarebit. Probatum eius sensus veritas & germanitas primo à cæterorum sensum præmissa exclusione & falsitate demonstrata: est nullus alius eius axiomaticus sensus verus esse posse: ergo hic admitti vt germanus eius sensus debet, ni axioma ipsius rejiciatur. Probatum 2. quia, vt axioma istud à scholasticis ex scriptura probetur recurritur, vt diximus ad illud: *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitioem veritatis*

Christoph. de Origena de Deo Vno, Tomus II.

venire. Inde autem minime infertur bene antea cō operantibus nature viribus, imò neq; ex gratiæ auxilio, vltiora auxilia Deum largitum, sed nemini auxiliis gratiæ suæ defuturum vt bene operentur ad salutem ac demum suis operibus consequantur. Ex desiderio enim salutis serio solum infertur legitime mediorum sufficientium, vt illam assequantur appositio. Obijciens tamen: proloquium illud esse de facientibus, quod in se est sensu vero præfatio etiā ad non facientibus, quod in se est extendi, nec esse de facientibus speciale: nam gratia Dei præueniit vt bene operari absolute, & complete possint, non operantibus etiam continet per nos. Respondeo eo etiam tendere proloquij illius sensum: nempe neminem sui mali vltus causam in Deum, ex parte sua necessariis ad rectum vltum & salutem deficiat, sui posse specie vlla probabilitatis querere refundere, sed in seipsum solum, & quod quantum in se est non faciat. Si quidem sufficiente gratia anticipatō à Deo præuenti per id quod in ipsis deinceps est abutuntur, qua alij faciendo quod in se est videntur bene: quasi proloquio illo ex sacris dogmatibus æquiualeuter contra prauos reprobos de Dei bonitate, & beneficentia, imò, & in ipsos inuida malignitate, querulos Theologia clamat: *facite, quod in vobis est, & Dei gratiam, qua benignas, beneficeque præueni estis, nec dispiciatis, illi cooperantes, vt potestis, cognoscitis*. Ex quibus, & doctrina scholæ nostræ Thomisticæ Iesuanæ de efficacia auxiliorum extrinsecus à futuritione consensus nostri conditionata speciale aliquid pro prædestinatis eo proloquio dicitur: quod in gratia Dei abutentes reprobos non cadat, etsi æque inde eorum abusus reprehendatur. Nimirum gratiam efficacē, quia efficax est, bene videntibus prædestinatis datam, qua ratione in ratione gratiæ, & beneficii est gratia maior ab ipsorum bono vltu absoluto aliquo modo pendere, cuiusq; efficacit, & maioris gratiæ defectum pendere sensu cod. à reprobis prauo vltu absoluto, quatenus futuritio conditionata consensus, à qua auxilij prædestinati efficacit defuturum obiectiua dependentia à consensu absoluto libero prædestinati, etiā cum auxilium absolute collatū à Deo est, dependet: sicuti & efficacit negatio ex conditionata negatione consensus defuturum à libera absoluta negatione ead. consensus dependet simili dependentia obiectiua: qua materiam auxilij prædestinati aptam prædestinatus, ineptam vero reprobis apponit, omni ad vtrum, vel alterum à Deo donandum merito, & inductione seclusa, vt hoc, & priori tomo de Deo vno non semel explicuimus.

4. Et hunc sane proloquij illius sensum legitimum & vnicum esse (etsi non adeo explicite) vel attigerunt, vel supposuerunt DD. alij ab impugnatis omnes: quia reliquos omnes sensus aliorum impugnauerunt, & ex necessitate gratiæ præuenientis ad bene simpliciter & absolute quovisq; gradu conducenter ad salutem operandum videtur certo deduci. Nostri vero DD. in primis propinquius, clariusq; sinuauerunt: & quamvis memorati aliquot gratiam Dei auxiliantem ad virtutum moralium opera exercenda necessariam, non reputent, & probabilem etiam aliquorum externorum sensum quo tamen meritum omnium corū operum ad gratiam recipiendam excludatur, existiment. At hunc à nobis explicatum in communibus scholæ nostræ principiis, & ex sententia propria admittunt. De duobus tantum Doctotibus nostris, Molina scilicet, & Card. Tolet. an proloquium illud de operibus ex facultate nature ex propria sententia intellexerint quæstione esse nonnulli voverunt: & Card. Tolet. quæstioni occasionem dedere verba illa ex commentario ipsius in ep. ad Rom. c. 8. annot. 31. vers. fin. *quamvis aliquam causam esse affirmemus ex parte hominis, propter quam hoc Deus ad fidem, & gratiam vocare voluerit, non autem illos, non propterea telt rationem gratiæ: ob quæ de duobus à nonnullis acculare Tolet. Primum: quod gratia Dei ob pure naturalia opera bona dari à Deo cum Massiliensibz admittat, secundum: quod rationi ex Paulo, Patribusque, & Conciliis contra Massilienses præcipue contradicat, censetq; rationem meriti congrui ex nobis absque Dei gratia Deo exhibiti, quod verbis illis, *propter quam* asseruit, rationi gratiæ ob illud præfatiæ non obesse vt Andreas de Vega supra asseruit, qui propterea apud Theologos male audit, maleque censuris accipitur, verum oppositio prima verbis ipsis Tolet. aduersatur: nihil enim ibi ex propria sententia absolute asserit, sed solum hypothetum ponit, vt de alio ex eius suppositione iudicium absolutum ferat: ait*

DD d enim

enim *quavis* affirmemus: quæ potius probant ab ipso ex propria sententia de opposito præmissæ quod solum in ea hypophisi ponit, absolute negari, nec alium sensum, quam faciendi quod in se est gratiæ necessario ipsam, bona quævis opera præventoræ cooperando ab ipso admitti. Secundum vero absque fundamento ipsi imponitur: cum solum in hypothesi illa *aliquam causam gratiæ* qualem qualem scilicet ponat. & pure materialem ut physica manus protectio ad pecuniam datur: in qua nec impetrationis nec meriti ullius ratio ad donandam pecuniam attendatur: & tamen, quia donari in eius manum pecunia nequit, quin eam recepturus extendat, porrigatque verum est dari ei ab alio pecuniam quoniam manum porrigit, quod est subiectum statim à Toletio exemplum: quare illud *propter* non causam motum, adhuc congruè, ut Vega aiebat, sed hanc pure materialem denotat: ac proinde in huius causa & crimine Toletus non est, cum assignatam à se, ad eod. diuersam operum ex viribus nature causalitatem ad gratiam, quamvis admitteretur rationi gratiæ non adueraturam, longè diuersum ac verosimile sit.

5. Molinam etiam nostrum Semipelagianum erroris insinualuerunt primo Thomistæ, ex eo, quod prædeterminationes physicas Dei præuias ad recte operandum valide rejecerit. Eorum tamen impugnationes debiles sunt, & quæ, cum à nostro Lessio de gratia efficaci c. 10. tum à nobis tom. 1. de Deo vno controu. 2. de scient. & 3. de decreto concurrenti ampliore etiam, quam mereantur solutionem receperunt: verum ex specialibus quæ Molina idem scripsit in concordia ad qu. 14. art. 13. d. 10. 11. & 14. arreptis nostri Valquez contra Theologos aliquot antiquos certam. 2. confutatos argumentis, Zamel citatis supra locis, præsertim tom. 1. opus. c. 1. d. 2. à conclus. 4. ad 7. à pag. 290. & solut. argumentor. & tom. 3. à pag. 167. circa conclusionem 11. & sequentibus illum ad præsens aptius accusat: sed quibus antiquos plures, ac seipsum, iuxta supra eius doctrinam memoratam, accusare citius posset: cum apertius eorum omnium doctrina, & inexcusabilis Massilianismum sonet. Molinæ vero effata, etsi minus penetrantibus oculis, malignisque & inuidis auribus adsonare eiusmodi errori videantur, ipsum verò sinceris, & attentis oculis legentibus constans eius ubique mens, & contra Semipelagianismum sensus apparebit; probatur ex eius epistola anno 1594. in nostro Collegio Salmantino ad seruata, ad Patrem Antonium de Padilla Scholasticum ibi Professorem nostrum de eius hac in re mente dubitantem: ex qua occulatus testis Herize noster d. 27. capite secundo, hæc ad verbum transcripsit. *Dico que nobisque V. R. præui facere nos totum, quod in nobis est, & subsequi gratiam præuenientem: que esse es doctrina de Pelagianis, à Semipelagianis: y nose colige talde mis obras, ni demis papeles, ni respuestas, antes todo lo contrario.* Ex quibus constat ipsum omnem præcedentiam operum nostrorum præui ad Dei gratiam præuenientem omnem constanter negasse, ac proinde, tam remotam, quam proximam, tam meritum, quam dispositum, siue positum siue negatiue, & solum per impedimenti, & indignitatis peccatorum, in quæ incideremus, ni bene operaremur, atque vteremur arbitrio. Quo posito verba ipsius quæ æquiuocatione aliorum magis patent recitanda sunt, ut appareat an sensum, quem eorum author professus est legitime capiant: disputatione 10. citat. hæc habet. *Quoties ex nostris viribus naturalibus conamur facere, quod in nobis est, præsto nobis esse auxilia gratiæ, ea ut oportet ad salutem efficiamus: Inferiusculc.* Sicut Deus præsto est per concursum generalem libero arbitrio ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præsto est illi per auxilium gratiæ sufficiens, ut quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet: in conantibus ad fidem, & præuenientiam exemplum subiungit: simile habet d. 11. & d. 14. numero 5. longè à med. *Christus nobis promeruit auxilia non solum, quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, præsto essent ac præuenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam: sed etiam quibus sepe excitaremur omnino: & d. 9. §. Patet tertio, ait: licet Deus non vocet ad fidem propter merita aliquam eius, qui vocatur, immo sapit eos etiam misericorditer*

vocet, qui perniciter obstant: nihilominus magis indigne, ut supernaturaliter adiuvetur & vocetur, qui sinistra intentione quam qui paratus obire conati ad audiendum accedunt. Hæc sane speciem præcedentia operum, & conatum nostrorum ex naturalibus, propriisque viribus respectu gratiæ, & vocationis supernaturalis, vel maxime, apud nostrum Molinam præferunt.

6. Et ea quidem specie Lessius noster Doctissimus cum primis Molinæ discipulus citato capite 10. deceptus præcedentiam eam à Molina cum antiquis Scholasticis admittam fatetur; neque aliter, quam illos, errandam putat: quod scilicet ante accuratam Massilianis erroris examen, & confutationem à nostro Valquez, cum contra Massilianes, tum contra præfatos Scholasticos illi omnes bona fide, & per inaduerentiam lapsi perierint: cui & magnus Magister meus Dara concessit manuscripto de prædestinatione d. citata, §. 2. Rati etiam noster d. 21. citata sectione 6. à numero 19. ad 27. iuxta suam doctrinam de negatiua dispositione per amotionem impedimenti, & indignitatis peccatorum, quam peccantes, maleque ventres arbitrii viribus gratiæ supernaturali exhibende à Deo, ab ipsis recipiendæ suis peccatis apponerent, à seque bene operantes, atque naturali facultate arbitrii ventres in bonum remouent, à semipelagianismo vindicari Molinam: cui explanationi postremum Molinæ testimonium locum cedere videtur, non incongruum. Verum neque eo facta, eum errorem omnino vitari contra eundem Rati obediimus certamine secundo, à numero 9. neque cum sensum mentis suæ explanatione proximè recitat Molina sibi imputari patitur: cum præcedentiam omnem nostrorum operum & sola arbitrii facultate respectu gratiæ semper, & vbivis scriptorum suorum rectam, negatamque testetur. Herize eiusmodi explanationem præ oculis habens citato loco aliter Molinæ testimonium interpretatur: ut, scilicet, cum quem ex parvis naturalibus actum naturalem fidei, vel penitentiae, si gratia Dei præueniret, gratia ipsius supernaturalis Deus præuenit, ut supernaturalis, atque ut ad iustitiam & salutem operetur euadat. Hoc videntur sonare testimonium duo prima d. 10. & 14. recitata. Addit autem ipse secuti: & Rati promissum totum ob opera ita ex viribus nature, vel præstis, vel fore præuiam Dei gratiæ præueniret ex merito illius Christi, ob quæ gratia sic conantibus promissa est: à Molinæ sensu euenire, quin conatus illi nostri naturalis aliquid ad Deum mouendum conferat de suo. Rationis hic communis utriusque fuit à nobis detectus certus, n. Quod autem speciale Herize aiebat facile rejicimus. Cum enim Molinæ citatis testimoniiis nullas actus fidei, aut penitentiae pure naturalis ac sine gratia Dei se ingerentem parte actus primi, ut supernaturalis aliquo factum modo, & ut oportet ad salutem euadat, absolute sit firmus, ut preiudici à Deo potest, ut se ad efficiendā ipsas facultates arbitrii præueniendo, & cooperando gratia sua ingratum quod si gratiam adiunctam actui mere naturalis, quæ absolute ex parte nostri supponit, modum aliquem realiter modaliter diuersum cum voluntate creata adiungere dicam iam gratiam, eiusque effectum in sensu Molinæ habere opera ex facultate sola arbitrii (quo velis et impugnat modo) fieri necesse est, atque expressè ipsius declarationis contradicere.

7. Ea ergo explicatio mentis suæ cum recitatis eius testimoniis, aduersum quid sonantibus recte facillimèque coheret in sensu unico vero, & Theologico, quem iuxta ipsius nostræque Thomistæ Lessianæ (hæc doctrinam dedimus: quod, scilicet, nullum opus absolute honestum, & simpliciter bonum, absque gratia Dei per Christum de se indifferente, nec ad vnum determinatum fieri posse, ac proinde, neque à Deo conatus arbitrii potius naturalis in bonum in statu suo absolute, siue conditionato posse videri. Visi autem subinde conatus absolute gratiam Dei ad ipsos absolute apponendis pro priori adiungi non posse, cum adiuncta absolute pro priori ad ipsum efficiendā supponatur: solumque ex scientia simplicis intelligentie præuis conatus ex gratia sufficienti possibilis. Deum se gratia sufficiente adiungere posse arbitrii nostri naturali facultati ut absolute possimus, ut autem conditionate sub hypothesi gratiæ suæ sumus, ut absolute, & de facto bonos eos conatus habeamus illa ipsa gratia

gratia se Deum adiungere: & hanc esse Molinæ nostri, sententiam cum ex eius principiis de concordia, tum ex meritis in re præsentis suæ declaratione præmissa, tum denique ex testimoniis ipsius, quæ reputantur à nonnullis aduersa, constat aperte. Primum ex d. 10. etenim solum docet præstare nobis conatibus ex parte nostra Dei auxilia adesse ut operemur ad salutem oportune, seu quod idem est conemur: quibus præstus sensus non solum aduersus non est, sed facile continetur, & exprimitur. Præsertim adiuncto testimonio, secundo disputationis eiusdem, quod primi illius explicatio à Molina subiungitur: scilicet, eodem modo Deum nos præuenire gratia sua ad bonam moraliter, & honestam operationem efficiendam, atque ad physicas quasvis operationes volentes physice operari voluntate concurrere, quæ suam nobis ex parte actus primi antecedenter ad absolutam operationem, quam ex nobis solum physice absolute producere nequimus, ex parte actus primi adiungit voluntati nostræ, ut pro libito ipsa vires physice absolute operemur, sed vero, quid aliud testimonio 3. ex d. 14. (ubi hanc gratiæ auxilium meritis Christi iure attribuit) contineri videatur, ex eo, quod dicat, semper præsto Dei gratiam nobis conatibus in bonum adesse, non autem quæ semper, sed *sæpe* solum *excitemur omnino*: quibus quoadque ad conatus nostros bonos Dei gratia excitare nos ac præueniri negasse videtur, ac proinde admittere absque gratia Dei excitare, & præuenire posse nos conatus absolutos in bonum habere atque ad gratiam supernaturalem disponi.

8. Aduerte Molinam duplex gratiæ supernaturalis genus, ad duplicis etiam generis actus supernaturales cum Ariminensi admisisse (quæ fufus postea Valquez noster citatis locis ex prima parte, & 1. a. ex instructo explicuit, constituit atque multa eruditione, & profunditate fundauit, ut nos tomo primo de ente supernaturali, clarius adhuc, ex eius mente, & eruditione fundauimus) nempe gratiæ, & operum supernaturalium, aliorum quidem supernaturalium quoad modum solum, cuiusmodi, & actus virtutum moralium, & gratia Dei ad ipsos prærequisita est; aliorum vero etiam, quoad substantiam supernaturalium ut actus fidei, spei, & charitatis perfectæ, & auxilia gratiæ ad eos prærequisita. Ait ergo conatus nostros in bonum bonos moraliter, ex gratia Dei supernaturali, quoad modum necessario, iuxta eius doctrinam, & mentis suæ explicationem præfatam oriundos, nonnunquam ad gratiam: secundum substantiam supernaturalem ad supernaturales actus secundum substantiam, disponere, ac proinde, & eis gratiam hanc supernaturalem ab arbitrio nostro præueniri, tamen, sicut gratia omnis suorum, ita & supernaturalis hæc actus præueniat nostramque ad ipsos excitet voluntatem: Sed tamen cum ex eorum conatum præuentione, & dispositione gratia secundum substantiam supernaturalem ad suos supernaturales actus conferatur, tamen respectu illorum excitans, & præueniens absolute sit, alio respectu arbitrij absolute non omnino excitans, & præueniens est cum ad illam adeo conatibus illis, ex gratia alia etiam ortis, obtinendam prius excitata præuentione fuerit, atque inuigilauerit. Cum autem nullis honestis conatibus nostris præcedentibus gratia illa supernaturalis quoad substantiam, ad fidem verbi gratia, nobis à Deo (ut sepe à Christi meritis euenit) donatur: tunc quidem arbitrium nostrum absolute, & omnino, nec solum respectu actus fidei, à Dei gratia præuenitur, & excitatur: & hæc genuina Molinæ nostri mens est, atque germana interpretatio: ut autem videas quanto nostrorum consensu sensus hic axiomatis receptus sit, lege nostros Valentium 1.2. quæst. 4. punct. 2. circa finem, quæst. 6. punct. 4. tit. gratiam non cadere sub merito, §. Porro & seq. 2. d. 1. punct. 1. argum. 5. & solut. punct. 4. ad 2. obiect. Bellam. 6. de grat. & lib. arbitrij. c. 6. ad 3. obiect. consone addita lib. 2. c. 8. ad 3. argum. Valquez citatis locis, post quem omnes. Soar. 1. p. lib. 2. de causa prædestinationis c. 6. maxime c. 7. 9. & 18. lib. 3. de auxil. c. 2. fufus lib. de grat. locis fere supra citatis, Meratius, & Alarcon. de Prædest. Arrubal. 1. p. d. 7. Herize supra, Granados infra citandus. Fasol. 1. p. quæst. 2.3. art. 5. num. 2. & 3. commentarij. Ariaga tom. 1. d. 37. lect. 1. à §. dicendum. Ioannes Præ-

Christoph. de Ortega de Deo Vno, Tomus II.

positus 1. p. quæst. 2.3. art. 8. dub. 3. num. 30. §. Dico opera naturalia ipsius prædestinari, ac deinceps, atque vno verbo reliqui; tamen, ut dixi, qui opera virtutum moralium gratia Dei auxiliante non indigere putant, ista hac illa antiquorum aliquot impugnatorum sententiam defendi etiam posse, non multo operæ pretio contendant.



QVÆSTIO IV.

Possint dari operibus ex Dei gratia ortis causa meritoria prædestinationis propria?

DISCERNITUR hæc causa meritoria, aut moraliter disposita prædestinationis ex operibus ipsius prædestinati pure naturalibus, tamquod nullatenus posse definitum: unde verò ita exploratum est similibus operibus alterius à prædestinato, & alienis prædestinationis eius causam meritoriam, aut dispositam dari non posse, ut quæst. indignum à scholasticis merito iudicetur. Id enim operum puræ naturæ insufficientiam utrique quæstioni ad meritum ac dispositionem ad gratiam supernaturalem habet communem. De operibus vero ex gratia Dei ortis (de quibus est quæstio præfata) an causæ meritorie prædestinationis esse possint: duplex disputatio est valde diuersa: an operibus propriis prædestinati causæ meritorie dari possint? an saltem alienis: atque ex diuersis principiis determinanda. De prima ergo agemus quæstione præfata, de alienis vero meritis q. 5.

CERTAMEN I.

Opera, ex gratia etiam Dei facta, prædestinationis propria causa meritoria esse nullatenus possunt.

PROBATUR in primis conclusio argumento Patrum (tanta legitimatis & energiae, ut à nemine Theologorum in dubium vocetur) ex 1. ad Ephes. elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti; & ad Rom. 8. vocauit nos vocatione sua sancta ut essemus sancti. Unde Hieron. ad Ephes. 1. August. de corrept. & grat. c. 9. & 1. de prædest. c. 18. line de dono perseverant. c. 13. & 14. ac epist. 17 & 10. item, q. 2. ad Simplician. atque alij Patres frequentissime inferunt: ergo non quia futuri eramus sancti. Similem illationem fecerunt Concil. Arausican. 1. Can. 28. Arausic. 1. Can. 2. ex 1. ad Timot. iuxta ipsorum & aliorum Patrum lectionem, Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis. Ex quo sic inferunt: ergo non qui futuri eramus fideles. Unde ad rem nostram illatione accomodata arguo sic. Deus prædestinauit elegit, vocatque prædestinatos, ut fideliter pie, sanctèque ex gratia sua viuant, & eisque vitæ suæ meritis æternam salutem, atque æternam vitam consequantur: ut fidei dogma est: ergo non prædestinauit elegit vocatque eos, quia fideliter pie sanctèque erant ipsi victuri siquid Patrum, & Conciliorum valer illatio: vnde, cumque fidelis illa, pia, & sancta vita à prædestinatione habeatur. Postremum hoc addidi, ne quisquam putet consequentiam hanc Conciliorum, & Patrum contra Pelagianam, ac Semipelagianam merita pure naturalia, quæ ea illatione confutabant, solummodo tenere, non autem contra merita ex Dei gratia profecta: etenim consequentia hæc, non ratione materię, sed formæ tenet: ut enim sapienter animaduertit S. Thom. 3. part. quæst. 2. artic. 1. & quæst. 29. de verit. articulo 6. particula ut causam finalem

DD d. denotat;